

§. XV.

Ad ordinem hierarchicum pertinent quoque diaconi inferiores presbyteris et episcopis, eorumque ordinatio sacramentum esse censenda est.

I. De diaconis frequenter in N. T. mentio fit ac in monumentis Ecclesiasticis. Eos ratione gradus esse distinctos a presbyteris et episcopis patet ex omnibus testimoniis iam citatis, e. g. ex epistolis ad Titum et Timotheum, tum ex Clementis epistola, epistolis Ignatii, canonibus Apostolicis, carthaginiensibus, nicaenis, ex Dionysio areopagita (quoad hunc auctorem eiusque opera legendi prae ceteris Sirmundus in Diatriba de duobus Dionysiis, et Morinus op. cit. P. II. c. 4^o), Optato etc. ubi et specialia eorum munera specialisque initiatio describuntur. Ex iisdem quoque patet eos esse episcopis et presbyteris inferiores; ministri enim sunt utrorumque, ut ipsum nomen sonat, nec sacerdotes sunt, quia non ad sacerdotium sed ad ministerium ordinantur, ut aiunt canones carthaginienses; licet minus proprie dicantur identidem tertii tamen ordinis Sacerdotes (cf. Optatum l. c.), atque Levitis veteris foederis ubique comparantur. Cf. Ordinationum ritus allatos a Morino op. cit. P. II. Et sane si distincti sunt, cum nequeant esse sacerdotibus proprie dictis superiores, restat ut sint inferiores. Huc spectat epistola citata Hieronymi ad Evangelum.

II. Diaconos ad hierarchiam spectare docet Trid. Synodus Sess. XXIII cn. 6: ministri enim, qui tertio loco ponuntur sunt certe saltem Diaconi qui ita $\kappa\alpha\tau' \ \xi\acute{\xi}\omicron\chi\eta\nu$ vocantur, primumque gradum inter ministros absque controversia obtinent. Sane hierarchia iis constat qui ad functiones sacras, ad administrationes sacramentorum aliorumque sanctificationem consecratione quadam inamissibili deputantur; atqui tales sunt Diaconi. Nam eorum est Sacerdoti sacrificanti assistere et ministrare, eorum est Eucharistiam distribuere fidelibus: iis ex officio competit baptizare, ut liquet ex Actis VIII, 5-12; 26-38, testaturque Pontificale romanum Clementis VIII; iisdemque competit quoque (ex mandato quidem Episcopi) praedicare, quod ex Actis VI, VII, VIII manifestum est, docemurque rursus ab eodem Pontificali. Deputantur autem ad haec ritu sacro simili illi quo Episcopi et presbyteri initiantur, ut liquet ex omnibus sacramentariis seu euchologiis graecis et latinis, cuius ritus adhibiti effectum perennem esse et inamissibilem ex iisdem veterum monumentis constat ex quibus characterem indelebilem ordinationis §. XIII. colligebamus.

III. Ordinationem diaconi Sacramentum esse nondum definitum est: theologica tamen demonstratione certum est. Id ex Scripturis

collata subsequente Traditione persuadetur. Sane advertatur a) quod murmur graecorum et pro eo sedando visa necessitas constituendi ministros mensarum (Act. VI, 1-2), si res per se spectetur, potest censeris fuisse vel occasio tantum deducendae in actum cuiusdam institutionis, vel fuisse finis sive adaequatus sive inadaequatus ordinationis diaconorum (diaconos eos fuisse, et ab iis diaconorum gradum qui mysteriis serviunt, eorum scilicet quales deinceps semper in Ecclesia existerunt, sumpsisse exordium universa christiana traditio testatur cui perperam refragatur can. 16. Synodi quinisextae, male enarrans verba Chrysostomi in h. l. qui non de dignitate, sed de nomine *diaconi* loquitur). b) Fuisse autem illud potius simplicem occasionem non finem saltem adaequatum liquet tum ex conditionibus requisitis in eligendis, cf. et 1^o Tim. III, tum ex officiis quae statim exercuisse dicuntur electi, quae sunt praedicatio verbi (cap. VI, 8. seqq. VII) et baptismi administratio (cap. VIII) extra civitatem quoque Ierosolymae; quibuscum muneribus in iis qui ministri simpliciter essent cohaerere quoque poterat ministerium mensarum quod non profanum sed sacrum erat, custodia scilicet et distributio elemosynarum Deo oblatarum pro pauperibus fidelibus. Neque huc spectasse diaconorum institutionem negat Hieronymus epist. ad Evangelum, qui solum ad retundendam quorundam diaconorum arrogantiam ponit eis ob oculos occasionem qua electi dicuntur, ministerium nempe mensarum. Cum munere praedicandi et baptizandi coniunctum quoque fuisse munus ministrandi sacerdoti celebranti divina mysteria docemur (collato 1^o Tim. III, 9-10) ab antiquissimo scriptore, qui cum Apostolis conversatus est, S. Ignatio scilicet ad Trallianos n. 2. « Oportet et diaconos mysteriorum Iesu Christi ministros omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiae Dei ministri. » Porro c) institutionem horum diaconorum non fuisse mere apostolicam sed divinam illud primo demonstrat quod ministri sacrorum ad intrinsecam constitutionem spectant societatis religiosae, huiusmodi porro Christo auctore sunt in Ecclesia; deinde idem constat ex testificatione Clementis l. c. aientis ordinatione divina missos Apostolos et acceptis mandatis praedicasse verbum et episcopos et diaconos constituisse; ex testificatione Ignatii qui et in suis epistolis diaconos semper sociat cum presbyteris et episcopis veluti ad eandem pertinentes institutionem, ut ait e. g. ad Smyrnaeos n. 8. « Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum »; et enumeratis diaconis, presbyteris, episcopis subdit « sine his Ecclesiam Dei non vocari » (ad Trallianos n. 3). Ex quibus patet sensus theoreticus qui praxi Ecclesiae subest constanti et perenni

Diaconos instituendi, eosque recensendi in ordinem hierarchicum. Quod vero iubet Cyprianus epist. LXV. diaconos meminisse quod « Apostolos idest episcopos et praepositos Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in caelos apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiae ministros » eo spectat ut etiam ex immediata et personali institutione episcoporum a Christo facta eorum excellentiam prae diaconis maioremque necessitatem ostendat.

Iam vero *d*) ritus ab Apostolis adhibitus pro constituendis diaconis est impositio manuum cum oratione, qualis et pro ordinatione episcoporum ac presbyterorum adhibetur, idemque ritus in universa Ecclesia tum graeca tum latina semper est usurpatus; eodemque potestas quaedam sacra confertur, potestas scilicet seu facultas ministrandi ad altare Sacerdoti ac dispensandi corpus Christi et baptizandi ac praedicandi; creditumque semper est necessarium esse eum ritum ad talem potestatem conferendam, eandemque esse inamissibilem sive imprimi illo ritu sacro characterem: qui perperam negaretur ex eo quod nulla sit functio diaconi quae valide quoque ab alio nequeat praestari; nam et par difficultas moveri posset contra characterem confirmationis, et licet alius easdem actiones praestare materialiter possit, actio tamen sacra et ministerialis, quae diaconis asseritur, ab iis solis fieri potest. Porro impressio characteris est effectus proprius sacramenti. Pariter creditum est teste Tridentina Synodo Sess. XXIII, c. 4. dari eo ritu Spiritum S. h. e. gratiam sanctificantem; nam et in consecratione diaconi dicitur secundum Pontificale Romanum: *accipe Spiritum S.* Talis autem ritus Sacramentum est: ergo.

Neque obstat diaconissas quoque (quarum institutio apostolica censetur Rom. XVI, 1. 1^a Tim. V. 9. 10) penes Graecos impositione manuum et ad altare ordinari, nam hic ritus non fuit communis universae Ecclesiae, nec creditus fuit necessarius; nec creditum fuit diaconissas secretas esse ab ordine laico. Cf. cn. 26. Conc. Arausicani I. sub Leone I, et cn. 21. conc. Epaonensis sub Hormisda, et cn. 48. conc. Aurelianensis II. sub Ioanne II. Sed caeremonia fuit ab Ecclesia instituta ad analogiam ordinationis diaconorum. Qua in re corrigendus est iterum Morinus op. cit. P. III, Ex. 10. c. 4.

SCHOLION.

I. Quaestio fit de numero Ordinum. Apud Graecos post diaconatum duo sunt ordines minores, hypodiaconus et lector. Officia vero ab his duobus exercebantur et exercentur eadem quae a pluribus ordinibus penes Latinos. Epiphanius in Expositione Fidei n. 21. duplicem veluti seriem ordinum describit, in prima collocat episcopos,

presbyteros, diaconos, hypodiaconos, lectores, in altera exorcistas, interpretes, laborantes, curatores mortuorum, ostiarios, et quicumque disciplinae causa instituti sunt. Exorcistarum pariter mentio occurrit in can. 40. antiocheno. In Ecclesia latina iam tertio seculo omnes ordines reperiebantur qui nunc vigent eademque subordinatione: illos in Ecclesia romana existentes enumerat Cornelius R. P. epist. ad Fabium antiochenum (Euseb. H. E. L. VI. c. 43), iidem seculo quarto desinente enumerantur canonibus carthaginiensibus iam citatis. Nec tamen penes Ecclesias omnes latini ritus iidem semper fuisse videntur ordines minores. In Synodo Romana quae S. Sylvestro tribuitur inter subdiaconum et diaconum ponitur *custos martyrum*. Gelasius epist. IX post nominatos ostiarios veluti infimos ex ordinibus, inter lectores et acolythos ponit *notarios et defensores*, acolythisque subiicit subdiaconos. Canones Carthaginienses quatuor minoribus ordinibus recensitis, sub Ostiario ponunt *Psalmistam* quem et *Cantorem* vocant: liquet tamen potius esse simplex officium quam ordinem. Auctor anonymus opusculi *De septem ordinibus* inter opera Hieronymi satis doctus et antiquus (1) minores ordines sic recenset: Fossarios, Ostiarios, Lectores, Subdiaconos, ad quos additis Diaconis, Presbyteris, Episcopis septem existunt ordines. An omnes ordines fuerint quos recensuimus disputari solet. Quaedam probabiliter erant officia tantum quae pro diversa aetate ac Ecclesiarum necessitate aut utilitate alicui ordini assignabantur, vel erant simpliciter officia ecclesiastica sine ordine h. e. sine speciali consecratione qua in certo gradu clericorum collocarentur, ut de Psalmista in canonibus carthaginiensibus videtur. Cf. Marthene op. cit. c. 8. a. 4. Morinum op. cit. P. III, Ex. XI, c. 4. et Thomassinum De Beneficiis P. I. L. II. c. 30. Teste Trid. Synodo Sess. XXIII, ep. 2. « ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur. » Quae verba non ita opus est intelligere ut eos ordines ad ipsam Apostolorum aetatem, apostolicamque institutionem referamus. Epistola quidem Ignatii ad Antiochenos in qua enumerantur subdiaconi, lectores, cantores, ostiarii, laborantes, exorcistae, confessores (cf. Constitutiones Apostolicas L. VIII. c. 23) habetur ut spuria. Urbanus II vero in Concilio Beneventano decrevit. « Nullus in Episcopatum eligatur nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus sit. Sacros autem ordines dicimus

(1) Cum dicat « nuper episcopalis electio ad metropolitanum remissa est ut incipiant summi sacerdotes pati non ex iure sed ex necessitate alium sacerdotem » videtur in Italia seculo IV scripsisse cum metropolitani in Provincia Romani Pontificis institui coeperunt.

Diaconatus et Presbyteratus; hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solis praeceptum Apostolicum habemus. Subdiaconos veros, quia et ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissime. » Non ergo alii ordines distincti tunc habebantur in primitiva Ecclesia, nisi censeas voluisse dicere Urbanum quod eos solos duos ordines habuit primitiva Ecclesia ut maiores et sacros, sicut Innocentius III, l. c. infra interpretatur. Aliter tamen accepit Gratianus D. XXI qui ait « Levitas ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit b. Stephanus: subdiaconos et acolythos procedente tempore Ecclesia constituit. Cf. et Magistrum sententiarum L. IV. D. XXIV. Hugonem a S. Victore De Sacramentis Fidei L. II. p. III. c. 13. Ex usu ministrandi altari et caelibatu iam a Leone M. praecepto, et praecipue ex concessione Urbani II confirmata deinde ab Innocentio III c. a multis, de aetate et qualitate etc. quod ex subdiaconis eligi possent ad Episcopatum, factum est ut inter maiores sacrosque ordines subdiaconatus tandem sub finem sec. XII. accenseretur. Petrus enim Cantor qui obiit anno 1197 (in Libro de Verbo mirifico) ait *de novo institutum esse subdiaconatum sacrum ordinem*. Porro « Ordo dicitur sacer (ait S. Thomas in IV. D. XXIV. q. 2. a. 1. q. 1. 3) qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam » ut Sacerdos et Diaconus circa corpus et sanguinem Christi, et subdiaconus circa vasa consecrata.

II. Quaeritur an ordines inferiores Diaconatu sint totidem sacramenta. Plures scholastici id censuerunt cum Magistro IV. D. XXIV. nn. 2. 10. et S. Thom. ibid. a. 2. q. 2.: plures recentiores vel dubitant vel negant cum Morino op. cit. P. III. Ex. XI. cc. 1. 2. (cf. Perrone De Ordine C. II. Schol. 1^a) eo quod non divina sed ecclesiastica tantum eorum origo videatur. Nec evincitur hos ordines characterem sacramentalem imprimere, eo quod non iterentur; nam ut audivimus a S. Thoma, quaevis consecratio est perpetua, ut vero idem ait q. 1. a. 1. ql. 3. ad 3^m « non omnis benedictio vel consecratio est sacramentum, quia et monachi et abbates benedicuntur, et tamen illae benedictiones non sunt sacramenta; quia non ordinantur aliqui ad dispensationem divinatorum Sacramentorum, sicut per benedictionem ordinis. » Censebant tamen veteres plenitudinem Sacramenti esse in uno ordine, h. e. sacerdotio, in aliis vero esse quamdam participationem ordinis: ideoque omnes ordines unum esse Sacramentum, quod est aliquod totum non integrale nec universale, sed potestativum, cuius haec est natura quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio eius. (S. Thom. in IV. D. XXIV. q. II. a. 1. ql. 1^a ad 2^m). Vere dixisse censemus Thomassinum l. c. « nihil probabilius quam minores ordines comprehenso

subdiaconatu veluti quasdam portiones esse diaconatus, aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte dixeris, minores ordines in fonte sui ac origine idest in Diaconatu, unde tanquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinae » Cf. S. Bonaventuram in IV. D. XXIV. a. 2. q. 1. et Thomam ibid. q. II. a. 1. ql. 2. qui idem docent.

Quoad tonsuram clericalem iam ab initio Ecclesiae usurpatum est ut clerici comam non nutrent, sed brevem et modestam gererent patentibus auribus, quod et fidelibus commune erat: deinceps cum sine periculo in publicum prodire licuit, tonso pressius capite, inferius circuli coronam ex capillis relinquebant clerici (Conc. Toletanum IV. c. 41 Beda Hist. Anglor. L. IV, c. 1.) vel etiam praeter haec verticem capitis in formam circuli radabant. Tonsura autem vel corona simul cum primo ordine suscipiebatur; at circa annum septingentesimum, ut putat Morinus, usu induci coeptum est, ut sola tonsurae caeremonia quis in clerum adoptaretur, et sic dari ea coepta est seorsim ante alios ordines. Cf. Morinum op. cit. P. III. Ex. XV. Thomassinum op. cit. P. I. L. II. c. 37. seqq. Marthene l. c. a. 7. S. Thom. in IV. D. XXIV. q. 3. a. 1.

III. Quaeritur quatenam sit materia et forma ordinationis et primum ordinationis presbyteri et diaconi, an sola impositio manuum, an sola traditio instrumentorum, an utrumque simul. Licet plures nobilissimi scholastici censuerint sola traditione instrumentorum cum verbis ad eam pertinentibus haberi materiam et formam Sacramenti, et quidam utramque postulaverint, ut Bellarminus de Ordine c. 9: tamen 1^o negari nequit impositionem manuum esse essentialiam sacramento; neque id negat S. Thomas, qui docet per eam conferri gratiam licet velit characterem imprimi traditione instrumentorum (in IV. D. XXIV. q. II. a. 3.): 2^o probabile saltem est vehementer traditionem instrumentorum non esse materiam essentialiam utrique ordinationi; neque ultimam impositionem manuum cum his verbis: *accipe Spiritum S. quorum remiseras peccata etc.* . . . in ordinatione Presbyteri. Sane quod spectat ad 1^a a) in Ecclesia graeca semper sola impositio manuum adhibita est (Morino op. cit. P. III. Ex. VII) ordinationesque graecorum probavit semper ecclesia romana (Morino op. cit. P. I.); b) pariter in Ecclesia latina usque ad seculum IX sola impositio manuum est usurpata; canonesque carthaginienses, in quibus pro his ordinibus impositio manuum exclusive traditur (cf. cn. 5), in omnibus subsequentibus sacramentariis repetiti sunt ut norma ordinationis (Morino ibid.): et in eadem Ecclesia ita est deinceps adhibita simul traditio instrumentorum ut tamen simpliciter affirmatum sit impositione manuum ordinari presbyteros, ut loquitur Tridentina Synodus Sess.